

M E D E N D I

METHODUS DERIVANS.



DISSERTATIO INAUGURALIS, QUAM ANNUENTE  
INCLYTA FACULTATE MEDICA IN ALMA AC  
CELEBERRIMA R. SC. UNIVERSITATE HUNGARICA  
AD GRADUM DOCTORIS MEDICINAE RITE OBTI-  
NENDUM PUBLICAE DISQUISITIONI SUBMITTIT

VINCENTIUS ZOMBORCSEVICS

HUNGARUS M. THERESIOPOLITANUS.

GRADSKA BIBLIOTEKA

Br. 320757/880  
Subotica

Theses adnexae publice defendantur in Palatio  
Universitatis majore die 24. Aprilis 1832.

---

PESTINI,

TYPIS TRATTNER-KÁROLYIANIS.

І А И З О Г А И

RELIQUIAS DERIVANTES



ATQVE MELIORIS VITÆ QUITATISSIMA  
SOLITA ET VITÆ VITÆ VITÆ  
ALMÁSI JÓZSEFUS

**Pervi properemus et ampli!**

ET TERRITORIUM HUNGARICUM  
TERRITORIUM HUNGARICUM

II 140

140

140

140

140

140

140

140

140

140

140

140

SPECTABILI CLARISSIMO

AC  
DOCTISSIMO DOMINO DOMINO

J O S E P H O R U D I C S  
DE ALMÁS

EQUITI AURATO, AA. LL. ET PHILOSOPHIAE, NEC  
NON JURIS UTRIUSQUE DOCTORI, IN REGIA SCIEN-  
TIARUM UNIVERSITATE HUNGARICA FACULTATUM  
PHILOSOPHICAE, ET JURIDICAE COMMEMBRO,  
INCLYTORUM COMITATUUM BÁCS, ET BODROGH  
ARTICULARITER UNITORUM, NEC NON TOLNENSIS,  
CSONGRÁDENSIS, ET VERŐCZENSIS TABULAE JUDI-  
CIARIAE E PRIMARIIS ASSESSORI.

V I R O  
ERUDITIONE BENEVOLENTIA NOBILITATE  
CL A R O  
LITERARUM ET BONARUM ARTIUM O L  
FAUTORI EXIMIO  
MOECENATI MUNIFICENTISSIMO  
IN PIGNUS PROFUNDISSIMAE VENERATIONIS  
GRATIQUE ANIMI  
TEÑUES HAS PAGELLAS  
D. D. D.

A U C T O R .



### P r o o e m i o n .

Legibus Academicis aequa ac usui recepto satisfacturus dissertationi inaugurali conscribenda me accinxii. Opus hoc maximi momenti mihi visum fuit tum ideo, quod laboribus scholasticis coronidem imponat; tum et quam maxime, quod Juvenis e schola egressum annunciet, eumque in gremium Civium Patriae quodammodo introducat. Summum eapropter in absolvendo hoc negotio adhibere studium, et conamen firmus proposui. — Interim quod Lingua Patria uberior pertractare, omnique ex parte endare argumentum mihi in proposito fuit, illud temporis angustiis pressus pagellis hisce comprehensum, et primis duntaxat lineis adumbratum publici juris facio; — quin ideo, quod jam longiori abhinc tempore

fixum in animo est propositum, penitus ab-  
jiciam, ut potius illud differam solum, us-  
quedum Galenus media necessaria tulerit.  
Ad haec, si debite respexeris Lector Bene-  
vole, judicium de opere mitius feres, illud  
autem de Auctore ipso suspendes. Dabam  
Pestini Mense Aprilis 1832.



## Definitio.

1.

*Derivatio pathologica* est mitigatio, aut sub-  
lato status morbos per affectionem in parte or-  
ganismi alia provocatam.

Omnis autem Derivationis sive *naturalis*,  
quam sola naturae autocratia, sive *artificialis*,  
quam haec opera medici incitata perficit idea in  
*Sympathia* s. *Commercio vitali* radicatur, quo  
omnia quidem organa, qua partes unius ejusdem-  
que totius in unum nectuntur, quod tamen inter  
nonnullas organismi partes strictum et multiplex,  
inter alias minus exquisitum, et simplicius est.  
Misso autem nexu partium organico, et pheno-  
menis, quae in contigitate et vicinitate partium  
radicata primum habent explicatum; de solo lo-  
quar *nexus vitali*; qui, cum duplice sub forma  
manifestus fiat: qua *Consensus* nimirum, et *oppo-*  
*sitionis vitalis*, seu *Antagonismus*; — Derivatio  
quoque duplex distingueda erit: *Consensualis*  
nempe et *oppositionalis*, seu *Antagonistica*. —

## Consensus.

2.

Nomine *Consensus*, *Philadelphiae* venit nexus organorum ille, quo fit, ut irritatio unius similem alterius provocet, hacque ratione homogenea utriusque suscitetur reactio. — Nexus iste consensualis omnia corporis humani organa, et singulas singulorum organorum particulas intercedens in causa est, ut topica organi cuiuspiam affectione suscitata, haec in loco primae originis porro quoque perstans protinus latius proserpat, et alias, saepe quam plurimas (quandoque omnes?) organismi partes in aversum trahat, morbusque strictissime topicus primo solum originis suae momento dici possit. — Morbo vero hac ratione intentione et extensione aucto vita quoque universa incitatur, atque energia majori in morbum reagens luctam ponit vividissimam, qua morbi judicium promptum et citum sive in salutem, sive in perniciem aegri provocatur; id quod in morbis febrilibus quotidie fieri videmus.

## Idea Derivationis consensualis.

3.

Alias consensuali in alio organo irritatione, hujusque reactione homogenea suscitata et susten-

tata morbus in organo protopathicum multum mitigatur, vel etiam protinus cessat. Fit hoc, quatenus factoribus vitalibus aliud in locum derivatis, processuque morboso eodem alibi excitato, et sustentato morbo primario pabulum quodammodo subtrahitur, qui etiam ideo imminui, vel penitus extinqui debet. — Hoc ergo in casu transit consensus in antagonismum (§. 7. n. 2.) nec differt *effectualiter* derivatio consensualis ab antagonistica; quin tamen ideo superfluam distinctionem hanc censem, ut potius eam in natura rei fundatam existimem, cum *causaliter* utraque diversa omnino sit. (§. 5.)

## Media nexus consensualis.

4.

Partes unius ejusdemque systematis organici, nec non singulae organi cuiuspiam particulae consensus intimum et luculentissimum; ast diversa quoque organa, saepe et diversissima et remotissima tam in statu sano, quam etiam morboso manifestum inter se *nexus consensualis* fovent. Cujus nexus media praecipua sunt:

a) *Nervi*. Uberrimum commercii consensualis fontem nervi constitunt, quibus diversissimae saepe et remotissimae corporis partes amico quodam foedere junguntur. — Communis enim plurium nervorum (omnium?) origo; multiplex

sub decursu eorum unius cum altero ansa , plexu ganglio unio cultro anatomico non semper demonstranda; et vitalitas altissima in causa est, ut affectionis unius organi facillime et citissime et aliud particeps reddatur.

b) *Vasa.* Systema enim vasorum sanquiferorum continuum nusquam interruptum efficit, et diversi generis vasa anastomosibus frequenter uniuntur.

c) *Textus cellulosus.* Systema vitalitatis quidem inferioris, ast latissime per corpus diffusum.

d) *Membranarum Continuitas.*

e) *Structurae et Functionis* in diversis organis similitudo.

Quo plura mediorum horum concurrunt, et quo altioris illa sunt dignitatis, eo exquisitor organi unius cum aliis erit consensus. Sic organa nervis, vasisque copiosis instructa vividissimum cum plurimis aliis commercium consensuale fervent; alia e contra, quibus nervi pauci et vasa perexigua sunt jure solum vicinitatis, et continuitatis consensum aliquem fovebunt. — Viget insuper inter partes nonnullas, in statu praeparatis morbo, peculiaris consensus, quin ejus fons penitus perspectus huic sit. Sic inter Parotidem, et organa Genitalia. —

## Antagonismus.

5.

Nomine *Antagonismi*, *oppositionis vitalis* venit nexus vitalis organorum ille, quo fit, ut affectione unius provocetur opposita alterius scopo eo, ut sublatum in organismo virium aequilibrium restituatur.

Turbatur autem aequilibrium virium s. harmonia: a) *Excessu* factorum vitalium in sistente, aut provincia quadam systematis cujusdam organici, aut organo quopiam. — b) *Defectu aut suppressione* eorumdem factorum. — Causae haec, ut ut e diametro sibi oppositae eundem tamen inducunt effectum. Lex enim Antagonismi suprema est: *Suppressa activitate organi unius exaltatur ea alterius*, et vicissim: *Exaltata vita hujus deprimitur ea alterius*. Antagonismo ergo vitali organon unum saepe vices agit alterius, seu: organa se mutuo supplent — Consensu autem se mutuo adjuvant. Antagonismo nisus aequilibrium restituendi — Consensu nisus illud sustentandi manifestatur.

## Organa antagonistice juncta.

6.

Viget Antagonismus inter diversissimas corporis humani partes; qui tamen jam manifestior,

jam magis obscurus, saepe etiam plenarie sensibus nostris subtrahitur. Probe autem distinquentur est antagonismus *Physiologicus* a *Pathologico*. — Ille, vitae omnis fundamentum, lassime diffusus inter omnes corporis partes viget. Sic est oppositio inter partem systematis nervosi centralem, et periphericam — inter finem nervorum centralem et periphericum — inter nervos sensus et motus etc. etc. — Antagonismus pathologicus minus late diffusus, saltem non ubique manifestus — eminet:

a) Inter vitam *psychicam* et *somaticam*. Antagonismus hicce pathologicus in multis morbis manifestatur, quo fit, ut depressa abnormiter vita inferiore altior morbosa acquirat aciem, et vicissim. Hoc de illis solum morbis valere, qui organa vitae alterius per excellentiam aggrediendo, reliqua intacta magis relinquunt, suapte patet.

b) Inter *Systema nervosum animale* (cerebrale) et *vegetativum* (gangliorum). Sic lassent functiones mentales vigentibus functionibus vegetativis; et vicissim.

c) Inter *Systema cutaneum externum* et *internum*. Aestate per excellentiam vivit cutis, hyeme tubus alimentaris.

d) Inter *Systema cutaneum externum*, et illud *Membranarum serosarum, fibrosarum* et *Sero-fibrosarum*. Rheumatismus, Hydrops sup-

pressa cutis per refrigerium admissum functione; — sanatio malorum illorum hac restituta.

e) Inter *Systema cutaneum externum*, et *Pulmones, Hepar, Renes*. Cutis enim externa non fluidum solum serosum se et excernit, quo opere cutis cohibito activitas renum vicarie intenditur — sed gravissimum insuper cutis munus in eliminatione phlogisticorum consistit, qua intercepta gravissimas pulmonum hepatisque turbas oriri quotidie videmus; — nexus hoc antagonistico pro dignitate non semper a Medicis aestimato.

f) Inter *Pulmones, Hepar*, et *Renes*. Vita pulmonum aestivo tempore depressa ea hepatis multum intenditur. Incrementum unius a morbis alterius. Urina ictericorum. etc.

### Idea derivationis antagonisticae.

1. Stimulus quicunque parti cuiquam organicae applicatus, atque in eadem consensus ope dissipatus — *hujus* irritationem consensualem, atque vitalitatis exaltationem — *alterius* antagonisticam depressionem inducit. — Sic Emeticum refracta dosi applicatum stimulo suo consensus ope per universum *Systema gangliosum* dissipato vitalitatem *hujus* omnem multum intendit — eam autem *Systematis cerebralis* deprimit.

2. Stimulus magis fixus, et circumscriptus in eodem etiam organo diversum exerit effectum: exaltationem nimirum vitalitatis in loco applicationis, et depressionem ejus in partibus aliis organi ejusdem. Sic ulcus faciei setaceo, aut fonticulo ad aliam cutis plagam minus nobilem saepe feliciter derivatur —

### Leges derivationis.

8.

1. Derivatio fiat ad partem ab organo, aut loco protopathico satis remotam. — Nihil peius, quam remedia quaecunque scopo derivante organo affecto vicina applicare. Stimulus enim ad viciinas et contiguas partes protensus has semper irritabit, quo in casu exasperatio potius morbi, quam ejus mitigatio provocabitur. Sic in ophtalmia derivantibus indicatis unquentum Autenriethi non applicamus regioni supraorbitali aut temporali —; quin ideo remotissimas semper et oppositas partes e. g. plantas pedum in affectionibus cerebri exquirere necessum aut peculiariiter indicatum sit.

2. Derivatio fiat ab organo nobiliori ad ignobilius. — Sic ab oculo ad cutim. Sic a nobiliori cutis parte ad ignobiliorum — a facie ad nucham dorsum etc.

3. Morbus derivatione provocatus periculi vel expers, vel minoris, saltem nunquam majoris sit. Et

4. Sit sanatu facilior.

### Locus Derivationis.

9.

Organon, quod remediis derivantibus potissimum plectitur, Systema cutaneum est. — Multiplicem enim cum diversissimis corporis humani organis nexus fovet, et applicationi remediorum quorumvis optime patet. Natura ipsa Crisibus et Metastasibus morbum ad cutim saepissime derivat, et funestae plerumque derivationes ad alia organa sunt. Adficitur autem scopo morbum derivandi Systema cutaneum tam internum, quam externum ita tamen, ut sub derivatione ad tubum alimentarem mitiora solum; — sub ea autem ad cutim externam fortiora quoque, et fortissima in usum trahantur. — Derivationem ad tubum alimentarem *Emeticis* et *Purgantibus*; eam vero ad Cutim externam *Repellentibus cutaneis* potissimum absolvimus.

### E metica.

10.

Emetica remedia scopo dirivante refracta potissimum dosi — *ad nauseam* — porriguntur.


Plena enim dosi exhibita ob violentam et tumultuariam ventriculi convulsionem, insignemque universi corporis concussionem graves concitantur universi Systematis sanguiferi turbae, sanguinisque torrente quaqua versum propulso, notabilis universi corporis exstimulatio, et exagatio provocatur. — Omnis autem derivatio per emetica in nexu vitali radicatur, qui eminentissimus inter ventriculum, et pleraque alia organismi organa viget; quo sit, ut stimulus quicunque ventriculo adPLICatus citissime, et tutissime et ad alia organa sive consensuali sive antagonistico modo propagetur. — Ut vero derivatio haec melius pateat, actionem emeticorum et topicam et consensualem paucis attingere necessarium visum fuit, qua ratione in exponna actione derivantium aliorum quoque progrediemur.

## 11.

Dum Emetica in ventriculum delata cum hoc in contactum immediatum deveniunt, quin resorbeantur, stimulum periphericis nervorum finibus addunt per eminentiam dynamicum gradus diversi pro diversa emetici potentia, et ventriculi receptivitate modo majori, modo minori. Stimulus hicce nervis impressus ad fibras quoque musculares, et universam ventriculi compagem

mox protenditur; oriturque penes reactionem nervosam ingratis sensus communis affectionibus manifestam — motus ventriculi vehementior, et secretio humorum adacta, quibus omnibus ventriculus stimulo inimico se subtrahere conatur: ita, ut vomitu vel ob tenorem virium infractum, vel ob mechanicum aliquod obstaculum interdicto paralysis nervi vagi, ipsaque mors inducta visa fuerit.

## 12.

 Stimulus hic ventriculo impressus per universum Systema ganglionum protinus extenditur. — Plexus solaris majorem nunc reactionem molliens praecedentem exstimationem manifeste loquitur — sanguinis et lymphae in vasis abdominalibus circulus impellitur; qua de causa, et aucta simul secretione tubi alimentaris resorbio intenditur, stasesque abdominales discutinntur. — Stimulo simul consensualiter ad pulmones, quorum stases solvuntur, spasmi delentur etc. et cum externam protenso activitas hujus omnis intenditur, id quod larga Ephidrosis, saepe nullis aliis remediis provocanda, abunde testatur. — Celebres hoc scopo, Systema nempe ganglionum excitandi, stasesque dissolvendi, pilulae Schmuckeri sunt:

Rp. Galbani  
Ammoniaci  
Saponis med.

*ana dr. unam*

Rad. Rhaei

*dr. semis*

Tart. stib.

*gr. quindecim*

m. f. pil. pond. *gr. duorum* consp.

D. S. Mane et Vesperi pil. 10—15.

13.



Exstumulato ita universo systemate ganglionum, organisque vitae vegetativa, antagonistica provocatur systematis cerebralis depressio. — Morbi cerebrales in exorbitante systematis hujus activitate, aut suppressione ejusdem positi derivatione ita ad sistema gangliorum facta optime, saepe unice solum compescuntur. — Laudata est methodus haec in Febri Nervosa e suppressa vita Encephali, qualis potissimum est, orta; sub initio morbi maxime certe indicata. — Cel. Ph. C. Hartmann meus condam in Medicina Practica Magister venerandae memoriae curam Febris Nervosae ab Infuso Ipecacuanhae dosi refracta potissimum ordiebatur; quam methodum felicissimo effectu coronatam sat saepe admirati sumus.

## Cathartica.

14.

*Remedia Cathartica* essentia ab Emeticis nequaquam diversa — effectu solum ab iis differunt; quod nimur specificam ut ita dicam ad inferiorem tubi alimentaris portionem relationem foveant, quae remediorum horum qualitas principem eorum ad reserandam alvum usum ponit. In omni autem effectu purgantium, sive per os sive per anum — *clysmata* — ingerantur, rite aestimando tum ad receptivitatem ipsius organi, tum etiam, et quam maxime, ad ipsum remedium respiciendum erit, quorum mitiora et mitissima effectum omnem minorem, saepe vix conspicuum, — fortiora et fortissima validum saepe, et tumultuarium exerunt. — Topicum catharticorum effectum hic quoque primum et ante omnia nervi intestinalium experiuntur, quostimulo ad fibras musculares, et omnem intestinalium substantiam protenso motus eorum peristalticus, et secretio augetur, quibus omnibus alvus liberior, fluidior, frequentior provocatur.

15.

Effectum topico proximum sistema ganglionum, et quam maxime inferior ejus plaga experitur. Exstumulatio hujus systematis, ejusque

\*

reactio terminibus fit manifesta, quae eo sunt vehementiora, quo sensilitas nervorum major, et quo purgans fortius fuerit. Eadem vero in nervis his, organisque, quibus prospiciunt, provocantur mutationes, quas extimulatio nervi vagi et splanchnici emetico provocata inducit. — Ita sanguinis, et humorum omnium per vasa abdominis, haemorrhoidalia imprimis, et organorum genitalium — motus positivo modo impellitur; potentissime purgantibus principio resinoso divitibus — *Drasticis.* — Incitatio haec vasa solum abdominalia plectit ita, ut ipsis quoque remediis drasticis virtus calefaciens pro universo sistema sanguifero, saltem eminens, iniuste satis tribui videatur.

## 16.

Effectu hoc tam *topico*, quam et consensuali, organis imprimis abdominis impresso, insignis ponitur remediorum catharticorum effectus antagonisticus — ab eo emeticorum multum discrepans. Virtus haec antagonistica, qua sistema cerebrale plectitur ea ratione modificata est, ut effectum hunc medulla spinalis, et nervi ejus validiorem experiantur; cerebrum autem ipsum, et nervi cerebrales etiam quidem, longe tamen debilius, quam ab emeticis, adficiantur.

Scopo autem eo adhibita cathartica, ut humoribus ad intestina, et reliqua organa abdomi-

nalia allicitis, sanguinem a nobilioribus partibus derivent, vigentemque hac ratione in his processum morbosum extinguant, sat saepe nulli alio remedio cedunt. Hinc in congestionibus sanguinis ad caput, thoracem etc.; in inflammationibus organorum cavis his contentorum eo quam maxime tempore, quo haec infracta in oppositum statum, congestionem nempe passivam transire minatur optimo cum effectu frequentissime in usum trahuntur.

Incitata vero tubi alimentaris remediis purgantibus activitate, ea cutis externae antagonistice communiter deprimitur. Hinc egregius purgantium in moderanda transpiratione cutis, sudorius profusis cohibendis virtus; quo tamen scopo auti remedia haec in usum trahamus, ne irritatione tubi alimentaris graviorem nefors morbum provocemus, qui in cuti tanti discriminis non sit, ni nimipere excedens corpori universo locationem minetur.

**Revellentia cutanea.**

## 17.

Derivatio ad cutim externam omnium frequentissima (§. 9.) multifariis effectuatur reme-  
dis, in quibus — praecipuis et magis usitatis — numerandis ea ratione versabimur, ut *mitiora*

primum, et talia, quae cuti universae vel majoris ejus parti; dein *fortiora* et *fortissima* minori vel minimae cutis plague applicanda exponamus.

## Balneum simplex.

18.

*Balneum simplex sive universale, sive partiale diversum in corpore exerit effectum, praeter alia momenta, quam maxime pro diverso quo pollet, caloris gradu.* — *Aqua frigida* a 0—10° aut 15°+0 R. scopo derivante forma lotionis au perfusionis in usum tracta a Medicis non pauci multis extollitur encomiis. Adplicata enim, juxta eos, hac ratione cuti aqua frigida caloricum ejus subtrahitur; ad quod restituendum sanguinis unda ad cutim mox post lotionem abstersam, tempore lecti fotam propellitur. Amoena hoc modo saepe provocatur ephidrosis, atque exanthem segnius erumpens sollicitatur, aut ad interiora nefors tendens ad locum originis revocatur. Sub *balneo temperato* 20—25°+0 R. nec calor nec frigus notabilem aliquem in corpus exerit effectum, solaque hoc in casu aquae in cutim virtus respicienda venit; quae quatenus in cutis sudore aut pulveribus repurgatione consistit omnem ejus functionem modo lenissimo res rando balneum temperatum revulsiones ad orga

teriora periculosa saepe praepedit; in diaeteticis eapropter maximae semper utilitatis. — *Balneum universale calidum* a 25°—30°+0 R. et ultra universum corpus, et sistema imprimis sanguiferum positivo adficit stimulo, quo sanguinem ad cutim externam potenter quidem allicit, ast illum magis rarefactum ad omnes alias etiam corporis partes urget, gravesque hoc modo concitat turbas. Ea propter scopo revellente passim in Rheumatismo Chronicō, hic tamen optimo cum effectu, adhibetur.

19.

Scopo revulsivo longe frequentius *Balnea calida partialia* in usum trahuntur. Universum enim sistema sanguiferum minus potenter congestando, partiale potius sanguinis ad cutim congestionem provocantia eum a partibus aliis optime derivant. — Ita sub congestionibus sanguinis ad caput, pulmones, organa abdominis balneum partiale calidum saepe solum sufferendis his malis, restituendoque aequilibrio est. Malis his ex Amenorrhœa profluentibus semicupium menses saepe revocat, amissamque restituit sanitatem. Praesente graviditate balnea manuum eundem persaepe praestant effectum, quin vita foetus hoc modo in periculum conjiciatur. Adhibentur insuper balnea partialia ad revocandum florem ali-

quem cutaneum topicum, aut arthritidem retrocessam apud individua, quibus balneum universale minus conveniret. —

## Frictiones.

20.

Frictiones cutis ni fine eo adhibeantur, ut remedia applicata cum vitalitate cutis exaltata in vividiorem conflictum deveniendo eo certiore et intensiorem effectum exerant, vasisque absorbentibus melius cedant — scopo derivante saepius in usum trahuntur. Stimulo enim nervis cutaneis impresso universum sistema nervosum torpidum multum excitatur, et adfluxu humorum ad cutim provocato revulsio a partibus nobilioribus insignis effectuatur. Fiunt autem frictiones linteaminibus, panno etc. sine, vel additis simul remediis stimulantibus ut plurimum spiritu vini simplici, aromatico, camphorato, therebintinato etc. Frictiones adhibita vi majori, aut remediis acribus exasperatae omnem rubefacientium virtutem exhibent.

## Rubefacientia.

21.

Acria, ab effectu, quem provocant, *Rubefacientia* dicta, cuti externae applicata primum et

ante omnia sensum pruritus concitant, quo mox in eum ardoris, et doloris verso plaga omnis stimulo acri lacessita erythematem corripitur. Actione acris nunc limitata superficialis haec dermatitis symptomatibus inflammationis omnibus stipata serius aut ocyus cum desquamatione epidermidis disparet; quo exitu rubefacientia ab aliis mox enumerandis discrepant. — Phoenomena haec manifesto indicio sunt, acribus externe quoque adhibitis vitam sensiferam primo adfici; cuius tamen reactionibus vitae tam irritabili quam etiam vegetativae communicatis superficialis mox concitatur phlogosis, quibus omnibus topica rubefacientium virtus absolvitur.

22.

Effectus hujus topici gratia, nullo ad reactiones secundarias respectu habito rubefacientia vix unquam in usum trahuntur. Adhibentur potius ob effectum eorum tam consensualem, quam antagonisticum in multis organis conspicuum. — Extenditur nempe irritatio topica consensus ope ad universum sistema dermaticum, cuius vitalitate exaltata functio omnis simul expeditur. Ita cuti flaccidae ob infractam vitalitatem sudorem copiosum fundenti rubefacientia stimulum et tonum addunt. Ita cuti spasmo stricta, arida, frigida non est remedium rubefacientibus praestan-

tius, quod nimis spasmum cutis expeditius solveret, functionemque ejus normalem certius revocaret. — E dermate effectus rubefacientium consensus ope ad interna quoque organa propagatur. Sic depressa vitalitate cerebri atonia sopor stupore; aut medullae spinalis paralysibus manifesta, rubefacientia stimulo periphericis nervorum sinibus addito ad ipsum centrum Systematis nervosi extenso mala haec sat saepe feliciter debellant. —

## 23.

Sed praeter effectum hunc consensualem insignis est rubefacientium virtus antagonistica. — Sic torpore periphericae Systematis nervosi partis sublato, gravissimae saepe partis centralis turbae, deliria, spasmi etc. componuntur. — Si alacriori cutis metamorphosi concitata et sustentata, actio vasorum hic incitatur, et affluxus humorum copiosior provocatur, quibus omnibus organa sanguine obruta eo liberantur. — Cuti insuper externa, qua organo se et excernente cum reliquis organis vitae vegetativae in vitali necessitudine necessario existente (§. 6.) facile patet, qui fiat, ut transpiratione cutanea rubefacientibus sollicitata (§. 21.) caeterae corporis et excretiones potenter alterentur. Cutis enim munere laeso organa secretionis interna vice

ejus agere nituntur, quo abnormi conamine extera functione restituta, remediis his liberantur.

## 24.



Si jam nunc nexus hunc tam consensualem, quam antagonisticum, quem systema cutaneum externum cum diversissimis corporis partibus fovet, debite respxerimus, eo insuper in considerationem justam tracto, functionem cutis cohibitam morborum plurimorum matrem esse, atrium hoc in omni ferme morbo ad absolvendas crises salutares apertum desiderari, eximiam rubefacientium in morbos plurimos debellandos virtutem medicam, usumque frequentissimum dignis effremus encomiis. Indicationes speciales ex iis, quae dicta sunt, facile eruuntur.

## 25.

Remedia tantae virtutis adversis sub circumstantiis in usum tracta nociva reddi suapte patet, quare non raro indicata licet, abesse omnino debebunt. Praecipua contraindicationis momenta ab ipsa cuti petuntur, cuius irritabilitas et sensilitas morbose exaltata, aut vita vegetativa multum depresso usum rubefacientium ex aequo vetant. Nam stimulo illorum malum jam intenditur,

jam erythema ulcerosa, aut gangraenosa de generatio cutis provocatur. Hoc praecipue ob venit in dyscrasia putrida, scorbuto, oedemate etc.

## Vesicantia,

26.

Topica et primaria vesicantium actio ei rubefacientium est simillima. Erythema et hic provocatur, quod vesicantibus adhibitis satis dilutis, aut actione eorum interrupta desquamatione epidermidis pariter finem capit (§. 21.) Ast actione acris continuata superficialis haec phlogosis intenditur, ut non amplius crisi normali solvi possit, utque transpiratio critica vaporosa in secretionem densam lymphaticam abeat, quae cum epidermidem trahere non valeat, eam in bullam aut vesicam elevat. Rupta haec vesica secretionem primo lymphaticam palam facit, quae paulo post in verum pus convertitur, ni lympha condensata epidermidem restituat.

27.

Ubi vesicantia effectum topicum ultra eum rubefacientium non intendunt, actione etiam secundaria omni his similia sunt. Cum tamen

plagae, quae vesicantibus adsignantur vix unquam ita late pateant, ut illae rubefacientium; cum nec eum ardorem et dolorem, ut rubefacientia provocent, Systema nempe nervosum tanta vi non adgrediantur; cumque non possint frequenter adeo reiterari, ut rubefacientia, quorum virtus reiteratione hac plurimum intenditur: — effectus vesicantium ad rubefactionem solum ad applicatorum omnis tam extensione, quam intensitate longe minor erit, nec illud ideo in therapia emolumentum praestabunt, quod rubefacientia largiuntur. — Sed plena etiam, ut ita dicam, dosi adhibita ob momenta eadem modo dicta effectum consensualem multo inferiorem rubefacientibus exerunt.

28.

Praecipua' vesicantium Virtus, et indicatio therapeutica a secretione nova petitur, quae materiis plasticis dives, duratione et intensitate signis in peculiarem cum vita vegetativa universa correlationem devenit. Exhibit hac ratione novum secretionis organon, cuius cum organismo omni nexus vitalis multiplex graves pot effectus secundarios, qui primo quidem ad vegetationem ipsam referuntur, sed et polum vegetativum Systematis nervosi alterant, et mutationem functionum durabilem inducere valent.

— Ita secretio plague externe aucta suppurationes internas progredi inhibet, ut et inflammations organorum vitae vegetativae. Hoc ipsius provocatione Antitheseos polaris, atque dirivatione, transpositione ut ita dicam metastatica fieri in aperto est. Facile tamen patet, ut similis metastatis fiat, vesicans organon adfectum ne contingat, ei quidem prope, in tali tamen absentia applicandum (§. 8.), ut effectus solu antagonistici organon protopathicum partice reddatur. — Ita Rheumatismi diutini rubefacientibus absque effectu tentatis vesicantibus persaecedunt. Trouti enim crisis materialis cutis vesicantibus provocatur, iisdem materialis crisis affectionum internarum localium sistitur, et haec secretio nova internarum vices agit.

Sed si ab hoc effectu vesicantium secundum rescindamus etiam, quo tam cutis quam organa interna a productis morbosis ob abnormem motionem normali atrio non eliminandis liberata — secretio cutis aucta resorptionem organorum internorum auctam inducit. Processus hic resorptionis alacrioris vividissimus in organis plague vesicantibus concitatae vicinis excitatur, sed in profundum protenditur, quamvis intensitas decrescat; quo modo producta morbosa inflammationis cum primis vegetativaे chronicæ lymphatica, aut lymphatico — puriformia distiuntur.

Cum vesicantium effectus exsiccatione solum plague excoriatae finem sortiatur, et cum secretio lymphatica praecipuam eorum a rubefaciens diversitatem sistat in morbis ut plurimum vegetationis chronicis in usum trahuntur. — Plurimum autem proficia erunt:

a) Ubi secretio cutanea sive normalis, sive abnormis, sed habitualis reddit a suppressa mixtionem et functionem partis internae morbose alterat.

b) Ubi labes organi interni auctam secretionem superficialem, ut crisim materialem possit.

c) Ubi resorptio in organismi penetralibus sollicitanda est fine eo, ut stases et congestiones solvantur.

d) Ubi nervorum activitas incitanda, aut potius ea suppressa vinculis suis liberanda est.

— Quantum ad mitigandas organorum internorum inflammations chronicas, cohibendas eorum suppurationes valeant, supra jam meminimus.

## Exulcerantia.

Medium inter caustica et vesicantia locum tenent Exulcerantia sic dicta ab effectu, quem

cuti externae adplicata exerunt. Producunt enim in ea validam inflammationem, quae in suppurationem specificam versa profundam cutis exulcerationem suscitat. Effectu ergo topico multum intenso, et eo insuper a praecedentibus differunt, quod effectum omnem tardiorem quidem sed durabiliorem in profundum magis, quam latum nitentem excitent. Potentissima idcirco pro vita imprimis vegetativa sistunt remedia, quibus valida, et perstans provocatur revulsio, qua qualitate rubefacientia aequa ac vesicantia antecellunt, et ob quam frequentissime, et ferme unice in usum trahuntur medicum. Usitatis simum hoc scopo *Unquentum stibiatum* est, ita tamen, ut nisi cutis sensilior, tenera dolores fortiores, et alia mala nos extimescere faciat; phtysis autem cum primis pulmonalis, arthritis retrograda, aut alia quaecunque mala revellen-  
tia fortissima exposcant *Cortex* quoque *Meze-  
rei* aut recens aut siccus aceto prius emollitus, vel *unquentum Euphorbii* sat saepe adhibeantur, — e chirurgicis vero *setaceum*.

In morbis itaque omnibus, in quibus re-  
vellentia mitiora provocando effectui optato non  
sunt, ubi simul periphericis nervorum finibus  
fortem stimulum addere, atque revulsionem va-

am facere necesse est, Exulcerantia omnino dicata erunt. — Sic in labe Rheumatica, et arthritica diuturna, quae nullis aliis revellentibus dunt; in Tussi convulsiva, Nevrosibus chronicis: Mania, Epilepsia, Spasmis optimo saepe in fructu adhibentur. — Ita in Catarrho chronicō, Phtysi pulmonali egregia sistunt remedia.

Febri Intermittente novissimis temporibus el. Pommer unquantum Autenriethi bono cum effectu adhibuit et licet hic actionem ejus omnis perspectam non habeamus, haec tamen alia, derivans esse vix poterit.

### Cauteria.

Cauteria potentialia, vulgo *Caustica*, materia organicae cui adplicantur, cohaesione rotinus tollunt, et ipsam texturam organicam estruendo vitam omnem in loco applicationis immediato sufferunt, nisi multum diluta in usum trahantur, quo in casu rubefacientium more agunt. Inflammatio et exulceratio eis inducta vehemens est, qua virtute medium quodammodo inter exulcerantia, et ferrum candens locum tenent. Adhibentur solum ad localem mali topici sanacionem, licet in aliis quoque morbis, scopo nempe derivante universalis, optimo cum fructu adhiberi possent.

Cauterium vivum, s. ferrum candens e-  
bustione partis organicae, cui adPLICatur mor-  
partialem inducit. Provocatur autem hac rati-  
in plaga vicina valida omnis processus vi-  
reactio dolore immani, humorum adfluxu, et  
flammatione vehementi in largissimam suppu-  
tionem versa manifesta. Vita omni ita inci-  
nervorum torpor, et paralyses tolluntur, nev-  
gliae et inflammations pertinacissimae deriv-  
tur, humorum resorbtio multum intenditur.  
hibetur ferrum candens tunc tantum, ubi mihi  
nihil prosunt, ad morbos atroces ad cutim ut-  
rimum derivandos. Ita in nevralgiis et spas-  
si perstans nervorum concitatio, et nevralg-  
eductio intenditur. — Ita in Coxalgia, infla-  
matione columnae vertebralis ferrum candens  
medium sistit saepissime unicum. — Ita ad siste-  
das suppurationes internas cauterium ulceris  
artificialibus quandoque etiam praeponendu-  
est, si nimirum vehemens et perstans nervorum  
alteratio simul desideratur.



## THESES DEFENDENDAE.

1.

Non actas, sed cognitionum claritas, me-  
dicum facit.

2.

Nec Medicus Chirurgia, nec Chirurgus me-  
dicina carere possunt.

3.

Mater proli propriae ubera denegans suae et  
infantis saluti utplurimum male consultit.

4.

Frequentia operationum in obstetricia cum  
progrediente artis perfectione est in ratione in-  
versa.

5.

Acetas plumbi acidulus solutus Pharm. Austr.  
non est Acetum Lithargyri.

6.

Substratum Febris intermittentis systema  
gangliosum est.

7.

**Non est syphilis ex Blenorhoea.**

8.

**Cholera non sistit morbum contagiosum.**

9.

**Herniae incarceratae remedium optimum est  
operatio Chirurgica.**

10.

**Exstirpatione uteri e numero operationum Chi-  
rurgicarum excludenda.**

